



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi  
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1617**

Illvstrissimo, Et Reverendissimo D. D. Gaspari De Qviroga, S. R. E.  
Cardinali, Archiepiscopo Toletano, Hispaniarvm Primati Ac Svpremo Fidei  
Inquisitori, &c. veram felicitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)



# ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

D. D. GASPARI DE QUIROGA, S. R. E.

CARDINALI, ARCHIEPIſCOPO TOLETANO,

HISPANIARVM PRIMATI AC SVPREMO FIDEI IN-  
quisitori, &c. veram felicitatem.



Vlls rationibus adduci potuiſſem, Cardinalis Illuſtriſſime, vt non minus difficilia, & abſtruſa, quam ſacra incarnati Verbi myſteria, quæ auditoribus meis explicaueram, ad communem omnium vtilitatem in aſpectum, lucemq; proferrem, niſi me ij coegiſſent, quorum imperium recuſare nec poteram, nec debebam. Nam, ſi arcana, reconditaque myſteria excipias, quæ nos Deum Opt. Max. natura vnum, & ſimplicem, hypoftaſi verò trinum eſſe, docent, illa ſunt nobilitate prima, difficultate maxima, vtilitate ſingularia, quæ Dei Filium ita factum hominem pro humani generis ſalute declarant, vt ex duabus naturis, illius diuina, & noſtra mortali, mirabiliter vna perſona conſiſtat. Sed quamuis huius argumenti dignitas cum ſumma difficultate coniuncta, propter ingenij mei tenuitatem, mihi iure timorem afferret, diuini tamen amoris, in hoc immenſo beneficio quaſi effuſi, frequens recordatio, ita me timentem, atque cunctantem, vel recreauit, vel incendit, vt cum de illo cogito, etiam ipſæ meditando, ſcribendo, dictandoque moleſtiæ leues mihi eſſe videantur. Acceſſit, animoſque addidit clariſſimi nominis memoria tui, cui ſine vlla deliberatione hunc meum laborem (qualiſcunque ille ſit) dicare conſtitui: neque enim me ita terret amplitudo tua, qua ſacra purpura inſignis fulges, qua Pontificia dignitate totius Hiſpaniæ primatui ornatus Toletanam Eccleſiam regis, qua demum ſumma poteſtate præditus Chriſtianam religionem tueris, quam humanitas tua, & eximia in Societatem noſtrâ beneuolentia me iacentem erigit, ac timentem, dubitantemq; confirmat. Offero igitur primos tibi meorum ſtudiorum, ac lucubrationum ſœtus, autoritate quidem tua fortalle non dignos, tuis tamen erga Societatem vniuerſam meritis, & officiis debitos. Quos ſi benigne ſuſceperis, non erit quod hominum iudicia, quibus expoſitus eſt, ſemperque fuit hic ſcriptorum labor, pertimeſcam; ſed erit potius quod mihi ipſi gratuler, quod te patrono, tuique nominis ſplendore commendatum opus in lucem prodire, atque in omnium oculis, manibusque verſari ſecurè, audacterque poſſit. Quare, Præſul ampliſſime, munus hoc, ea benignitate proſequerè, qua ſemper es proſecutus res omnes noſtræ Societatis, quæ maximis tuis beneficiis deuincta, non minus te vt parentem benigniſſimum amare, quàm vt clariſſimum Principem colere merito debet.

*Amplis. Tue Illuſt. ac Reuerend perpetuus  
in Chriſto ſeruus*

*Franciſcus Suarez.*

P I O